





8695

M
1765
10

ORDINIS IVRIDICI

I N

ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T.

DECANVS

MARTINVS GOTTLIEB PAVLI D.

DIGEST. INFORTIAT. ET NOV. PROF. PVBL.

CVR. PROVINC. CONSIST. ECCLESIAST. SCABI-

NAT. ET FACVLT. IVRID. ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.



ORDINIS IURIDICI
IN
ACADEMIA VITENBERGENSI
H. T.
DECANVS
MARTINVS GOTTLEB PAVL D.
DIGNIT. INFORMAT. ET NOV. PROX. VICE
CIV. TROVING. CONSIST. ECCLESIAST. SECAL.
NAT. ET FACULT. IURID. ASSLTOR.
LECTORI BENEVOLO

S. P. D.





Q. D. B. V.



De Finibus Germaniae Imperiique Romano-Germanici nobilis quidem, sed infimul quoque admodum dubia, et controversa, et plena haud raro diffensionis inter viros doctos est quaestio, inprimis quando de finibus Germaniae antiquioribus mediique aevi, quando de regundis Germaniae ad Orientem versus finibus quaeritur. C. Cornelius Tacitus, ex quo praecipue antiquissimorum Germaniae finium rationem reperere solemus, Germanos ad Ortum non alio ab Sarmatis discernere limite audet, quam *montibus, mutuoque metu.* *) Hos, incertos quamvis, Germaniae antiquissimae fines turbarunt successu temporis et coarctarunt quammaxime Slavicae nationes, utpote quae ab eo potissimum

a 2

*) de Morib. German. cap. I.

tissimum tempore, quo Gentium Germanicarum quam pluri-
mae, derelicta prorsus Germania, Romanis in provinciis sedem
fixerunt, reliqui autem, qui in Germania remanserunt, popu-
li ab Septentrione et Oriente, Occasum versus atque Meridiem
migrarunt, in vacuas eorum sedes, aut rarius certe habitatas
successerunt, omnemque orientalem Germaniae plagam, ma-
risque Baltici oram inundarunt quasi et impleverunt, adeo, vt
Caroli M. temporibus Francorum regnum ad Orientem ver-
sus Albis clauderet atque Sala. Hi populi Slavici deinceps
quidem in Regum Germaniae obsequium sensim redacti, iisque
tributarii facti, quin, nonnulli eorum in ius civitatis Germa-
nicae recepti, alii contra, substitutis in eorum locum colo-
niis Germanicis, penitus subacti et expulsi, finesque Germa-
niae, Imperiique Germanici Orientem versus et Septentrionem
insigniter hac occasione protracti sunt et dilatati, ceterum ta-
men istos populos, qui vtramque Vistulae ripam accolunt,
eorumque ad Germaniam nostram habitum quod attinet, non
desunt, quae vtramque in partem hac de re olim iam dispu-
tata sunt, et adhuc hodie disputantur. De Prussis quidem,
trans Vistulam habitantibus, dextramque illius ripam accolen-
tibus, hodie inter omnes, procul dubio, constat, eos origina-
rie sui iuris, nec Germanorum vnquam, nec Polonorum regno
olim fuisse obnoxios, et, quamvis Equitum Teutonicorum
Ordo has terras saeculo post Christum natum decimo tertio
suam redegerit in potestatem, hos tamen Equites eas Imperio
neque

neque in feudum obtulisse vnquam, neque etiam Maximilianus I. temporibus in Circulorum numerum referri, esse passus. Atque istam hodiernae Prussiae Polonae partem, quae ad sinistram Vistulae ripam protenditur, atque Pomerellia dicitur, quod attinet, qui illius et qualis olim ad Germaniam fuerit habitus, id equidem in ancipiti positum esse, et dupliciter accipi posse atque intelligi, existimo. Hoc quidem inter omnes abunde constar, Pomerelliam olim ad Pomeraniam pertinuisse eiusque constituisse partem, Friderici autem Barbarossae Imperatoris temporibus Pomeraniam in ius civitatis Germanicae receptam, atque Boleslaum et Casimirum, Ducum Pomeraniae titulo, in numerum Principum Germaniae fuisse cooptatum. ^{b)} Enimvero his temporibus, quibus hanc status mutationem subiit Pomerania, cum hac non amplius vnâ eandemque constitueret rempublicam illius olim pars, Pomerellia, utpote quae post divisionem, ineunte saeculo duodecimo inter Svantibori, Pomeranorum principis, filios, Wratislaum, scilicet, Ratiborum, Boguslaum et Sventipolcum factam, qua Wratislao et Ratiboro Occidentalis Pomerania, a Custino et Cholenbergae radicibus ad Marchiam vsque et Mecklenburgum excurrens, cessit, Boguslaus autem et Sventipolcus omnem reliquam Pomeraniam Orientalem, quae ad Vistulam vsque protenditur, fortitii sunt, peculiarem potius et ab reliqua Pomerania separatam

a 3

prorsus

^{b)} conf. BÜNAV *Leben und Thaten Fridrichs I. Roemischen Kayfers.* p. 275-



prorsus constituere coepit rempublicam. c) Quare, quod Wratislai, primi Occidentalis Pomeraniae ducis, liberis, Boleslao atque Casimiro, ipsique Pomeraniae Occidentali ab Friderico I. Imp. datum est ius civitatis Germanicae, ad Orientalem Pomeraniam hodiernamque Pomerelliam non potest extendi. Quae cum ita sint, qui hanc scribendi opportunitatem mihi suppeditavit V. C. IOACHIMVS GVILIELMVS WEICKHMANNVS, *Gedanensis, Iuriumque Candidatus dignissimus*, non minus molestum, quam difficilem, sed insimul tamen utilissimam quoque, atque Cive Gedanensi bono et ingenuo dignissimum insumfit laborem, cum in sua, qua sibi ad summos in Vtroque Iure honores, diu promeritos, rite legitimeque consequendos viam pandit, Dissertatione Inaugurali Gedanium, inclutam hanc et florentissimam rempublicam, ipsamque Pomerelliam omnem, quam utramque intra Germaniae fines ac sub potestate Imperii fuisse olim, existimant plerique omnes, in libertatem vindicavit plenissimam. Ceterum, quamvis facile concesserim, Gedanium pariter, ac Pomerelliam omnem Germanis eorumque Imperio nunquam fuisse obnoxiam, nihilo tamen secius rempublicam Gedanensem, Pomerelliam, quin ipsam Prussiam vniuersam originarie Germanorum esse coloniam, harumque terrarum incolas ab veterum Germanorum coloniis, temporibus medii aevi ab Equitum Teutonico-

rum

c) Vid. *Christoph. Hariknochi* Respubl. Polon. Libr. I, cap. VI. §. VII. pag. 91.

rum Ordine huc deductis, maxima saltem ex parte oriundos esse, hoc inquam, lingua partim Prussorum comprobatur hodierna vernacula, partim Ius, in quo inde ab Teutonicorum Equitum temporibus quotidie versantur, priuatum euincit, opinor, plenissime. Linguam quod attinet, qua tum publicis in negotiis, tum in vita ciuili priuata vsi sunt Prussiae ciues et incolae olim tantum non omnes, quaque adhuc hodie, tanquam vernacula, vtuntur plerique, si comprobare vellem, eam esse linguam Germanicam, oleum procul dubio perderem operamque omnem. Pristinos autem Prussos, tanquam Slaunorum progeniem, vetere Prussica lingua, quam Slaunonicae filiam fuisse, et cum Curona, Lettica, Lituana hodierna conuenisse quodammodo, aliunde constat, ^{d)} minime vero Germanica vsos esse, negabit, sat scio, nemo vnus. Hodierna itaque Germanica lingua, quae veteris illius Prussicae et Slaunonicae occupauit locum, non est indigenus terrarum Prussicarum, sed aliunde potius aduectus sermo, quo vero tempore, quaque occasione ille has in terras fuerit translatus, haec omnia, quamuis minime sint incognita, duobus tamen veluti verbis hoc loco, non tam dicenda, quam leuiter potius tangenda sunt. Prussi, scilicet, veteres, cum ineunte potissimum saeculo decimo

d) Conf. *Mattbaei Praetorii, Histori- Kurzer Entwurf einiger Sätze von der
sche Nachricht von der alten Preussischen alten Preussischen Sprache. Ibidem Tom.
Sprache. Astor. Borussic. Tom. II. p. 55. III. p. 581.
534. 780. 853. Item Ioan. Arnoldi. Pauli,*

cimo tertio Culmensem terram, Cuiuiam, Masouiamque perpetuis incurfionibus populationibusque grauiter vexarent, Conradus Masouiae dux aduersus hos eorum impetus Equitum tandem Teutonicorum Ordinem ad ferendum inuitauit auxilium, Equitibusque, vt limites tuerentur, terram Culmensem, primum quidem in annos tantum viginti, postea vero in perpetuum vna cum omnibus iis, quae in posterum in reliqua Prussia sint occupaturi, concessit. e) Postquam autem Equites isti Teutonici in hac terra Culmeni sedem fixerant stabilem, ex hac veluti specula continuis posthaec & diuturnis bellis Prussos adgressi sunt, nec, nisi ad interuentionem caesaris Prussis penitusque subactis aut expulsi, discesserunt ab armis. Quo facto, iisdem his in terris nouum condiderunt regnum, cuius fundamenta vt per solidum subderent, omnemque illius compagem firmis nexibus superstruerent, principatum, ab initio quidem, exercuerunt admodum moderatum, cumque in bonos facile sit imperium, numerosis frequentissimisque ex Germania huc deductis coloniis Prussiam, diuturnis bellis vacuefactam, nouis ciuibus repleuerunt, qui ab terra, quam ab hoc tempore incoluerunt, Prussi quidem dicti sunt, Germanica, tamen, quam huc transtulerunt, lingua sempiternam originis suae memoriam ad posteros propagarunt. Ceterum vero non linguae tantum, qua inde ab Equitum Teutonicorum

e) Conf. *Vir. Illustr. et ob meritum* FREDI LENGNICH *Historiam Poloniam*, §. XV. pag. 15.
magitudinem summe Venerabilis, GODO-

temporibus vtuntur Prussi hodierni, idiomata, verum etiam Iura, in quibus versantur, priuata Germanicam eorum euincunt originem. Duplici autem Prussia Polona, vtpote de qua hoc loco nobis potissimum sermo est, vitur Iure priuato, Iure scilicet partim Lubecensi, partim Culmensi, vtroque Equitum Teutonicorum institutis et consiliis his in terris introducto et stabilito. Haud equidem ignoro, praeter dicta ista Iura Culmensia et Lubecensia, in foris Prussiae Polonae vitaque ciuili Ius quoque Polonum, nec non Ius terrestre Nobilitatis Prussiae frequentari. Sed Iura Polona quod attinet, haec in vnico tantum palatinatu Pomerelliae, in reliqua vero Prussia Polona non obseruantur. Iis autem temporibus Polona Iura in Pomerellia vsu fori frequentari coeperunt, quibus ea regio Regum Polonorum imperio obtemperabat, cumque anno saeculi decimi quarti quadragesimo tertio Casimirus M. pace cum Equitibus Teutonicis facta, iure suo in Culmam, Michelouiam et Pomerelliam cederit, eaque occasione Equites suam in potestatem redigerent Pomerelliam ^{f)}, vt illius incolae eorum imperium comiter venerarentur, vltiorem Iuris Poloni vsum iis permiserunt quidem, introducto tamen simul, aut vltro recepto Iure Culmensi. ^{g)} Ius autem terrestre Nobilitatis Prussiae recentioris est aetatis, atque anno demum saeculi decimi sexti nona-

f) Vid. CASPAR. SCHÜTZII *Preussische Chronick* fol. 80. a.

g) Conf. *Vir. Illustr.* GODOFRED. LENGNICH Ius Public. Pruss. Polon. §. 114. pag. 219.

nonagesimo nono conditum, neque omnem Iuris priuati complectitur ambitum, et praeterea neminem, nisi Ordinem obligat Equestrem ^{h)}). Primarium proinde et principale Ius, in quo versantur Prussiae Polonae ciues, priuatum Ius partim Culmense est, partim Lubecense, quorum iurium hoc in ipsa Germania conditum, illud autem in Prussia quidem Polona, sed ex collectionibus tamen legum Germanicarum, ex Iure scilicet Magdeburgensi, Speculoque Saxonico compositum est. Vtrumque igitur Ius priuatum, quo inde ab Equitum Teutonicorum temporibus vsa est Prussia Polona, paene dixerim, vniuersa, Ius est Germanicum, quod Equites, ceterique e Germania aduenae secum apportarunt, quodque deinceps Ordinis Magister reipublicae his in terris nouiter conditae ciuibus eorumque posteris, scriptis hunc in finem priuilegiis variis, dedit atque permisit, prouti, quae hastenus veluti in compendio dixi, abunde probauit Collega olim meus coniunctissimus, Fautor nunc et Amicus desideratissimus, V. C. MICHAEL CHRISTOPHORVS HANOV, Cui Deus det, precor, vegetam senectutem. ⁱ⁾)

Multum autem, plurimumque, si quid video, interest Prussiae Polonae, huius suae originis non obliuisci, quin, illius

b) Conf. *Illustr. LENGNICH* l. c. §. 115. pag. 221. 22.

i) In *der kurzgefasten Geschichte des Culmischen Rechts*, eiusque Parte I. quae

continet: *die Geschichte des alteren Culmischen Rechts*, praemissa Editioni Iuris Culmensis, quae prodijt Gedani 1745. in fol.

lius potius meminisse semper, prouti bene meminerunt olim reipublicae Prutenae proceres statusque prouinciales, qui, ex-
 cussio anno saeculi decimi quinti quinquagesimo quarto Equi-
 tum Ordinis Teutonici acerbissimo iugo, ad Casimirum III.
 sponte sua liberrimoque iudicio se conuerterunt. Tantum enim
 abest, vt Prussi hac sua ab Ordine Teutonico defectione, sua-
 que Poloniae Regi per Legatos Cracoviae facta deditioe in
 nomen, gentem, linguam, iura denique transferint Polono-
 rum, vt potius, salvis et integris nomine, gente, lingua, iuri-
 bus suis, praeter Regem, cum Polonis regnoque Poloniae nil
 amplius habeant commune.^{k)} Prussia itaque Polona adhuc
 hodie peculiarem et ab reliqua Polonia distinctam constituit rem-
 publicam, cuius caput est Poloniae Rex, omnia, quae publi-
 cam utilitatem atque privatorum commodum concernunt, per-
 agens et gubernans quidem, sed ad normam tamen legum et
 consuetudinum, quas, cum suscipit regnum, confirmat, et ex
 consilio Ordinum Statuumque Provincialium. Hos autem Pruf-
 siae Polonae Ordines, id est, Consiliarios, Ordinemque eque-
 stem, consulit Rex, cumque iis, quae salutem afferre possint
 reipublicae, in Conventibus publicis generalibus expendit
 omnia. Quoniam vero Prussi, si originem eorum spectemus

b 2

Germa-

^{k)} Conf. *Illustr.* GODOFRED. LENG-
 NICH *Ius Public. Polon.* Tom. I. Lib. I.
 cap. VII. §. V. pag. 20. Item *Privile-
 gium Incorporationis*, inter *Privilegia Re-*

gum Poloniae Ordinibus Terrarum Pruf-
 siae collata et Gedani an. 1746. iunctim
 edita pag. 3 - 13.

Germani, et inde ab Equitum Teutonicorum temporibus lingua perpetuo vsi sunt Germanica, et, quamvis hodie Poloniae iuncti sint, ea propter tamen Germanicam linguam non dediderunt, hinc iure suo, quando in Conventibus publicis generalibus deliberant, tanquam Germani, lingua vtuntur Germanica. Atque ita olim factum esse semper, testis est omni exceptione maior *Vir Illustris* GODOFREDVS LENGNICH.¹⁾ Interim tamen negari non potest, ab eo statim tempore, quo Prussia ad Poloniae Reges se convertit, plurimos ab Poloniae Regibus creatos fuisse Prussiae Consiliarios non indigenas, linguaeque Germanicae prorsus ignaros, quorum proinde natio ceteros Prussiae status in hunc iam olim impulit casum, vt de iure suo bene quaesito hac ex parte aliquid remitterent. Palatinus itaque Pomerelliae, Denhofius, e Consiliariis Ordinis Equestris vltimus est, qui in conventu generali, anno saeculi superioris quadragesimo octavo, Mariaeburgi habito, germanice est locutus, ab quo tempore Episcopi, Palatini, Castellani, Succammerarii, quando in publicum consulunt, sententiamque dicunt, lingua Polona vtuntur. Ab hac autem lingua Polona eiusque in censendo vsu reliqui provinciae Consiliarii, tres nimirum maiores Prussiae civitates, Thorunum, Elbinga, Gedanum, et qui earum nomine conventibus generalibus interfunt, regulariter abstinent prorsus, et si quando polonice suam dicant dixerintque olim sententiam, id quod hoc et superiore saeculo non

¹⁾ in Iure Publ. Prussiae Polon. §. 60. pag. 103.

non nunquam factum fuisse, conventuum generalium perhibent commentarii, non, nisi addita hac cautione polonice censent: *Ne haec sua exempla receptae consuetudini derogent.* E contrario vero simul ac ordo censendi maiores tetigit civitates, earum in ordine prima, Thorunum, pristini iuris et moris suaeque originis probe memor, Praesidem provinciae, ceterosque Consiliarios Germanis alloquitur verbis, nec, nisi interpellata ab Praeside, ab hoc sermone desistit, et, ad illius preces, posthaec pariter ac reliquae duae civitates maiores latina in censendo vitur lingua. ^{m)} Quod autem originem Prussorum Germanicam ex iure, quo in vita civili vtuntur, privato eoque Germanico comprobata attinet, hoc quidem plus in recessu habere videtur, quam in fronte promittit, eiusque utilitas longius pater, latiusque se extendit, quam primum intuentibus appareat. Sunt autem ista Iura, provti antea dictum, partim Culmensia, partim Lubecensia, iisque vti sunt Prussi non tantum Equitum Teutonicorum temporibus, sed Casimirus III. iis quoque vltiorem eorum et perpetuum vsum permisit et confirmavit per *Privilegium*, vti dici solet, *Incorporationis*, ⁿ⁾ et, quamvis idem Casimirus III. anno saeculi decimi quinti septuagesimo sexto, sublatis, ad Prussorum preces, ceteris, vnicum Ius Culmense superesse voluerit, ^{o)} Lubecensis nulla facta

b 3

men-

^{m)} Conf. III. LENGNICH loc. cit.

^{o)} Conf. Privilegium hunc in finem

ⁿ⁾ §. 18. pag. 11. Privileg. Ordinib. scriptum loc. cit. pag. 22. 23.

Terrar. Pruss. collator.



mentionem, huius tamen usum nihilo secius retinuerunt et ad posteros propagarunt, quae eius auctoritatem hactenus fuerant secutae, civitates, Elbinga, veluti, Braunsberga, Frauenburgum, aliae ^p). Habet itaque Prussia Polona adhuc hodie sua propria et domestica Iura, quae diversissima sunt ab iis, quibus Polonia vitur, et secundum quae in Polonorum iudiciis causae controversae diiudicantur. Quae cum ita sint, facile est ad existimandum, quo iure, quave iniuria Poloni Prussos adigere voluerunt, ut supremis istis, regnante Stephano, institutis iudiciis, quae *Tribunalia* vocantur, quaeque ab iisdem iudicibus Petricoviae partim, partim Lublini exercentur se submitterent? Praeterquam enim, quod Prussi, praeter Regem, cum Polonis nil amplius habeant commune, atque igitur per constitutiones Terrarum Prussiae et per privilegium, quod vocatur Instantiarum ^q), ultima ab iudiciis eorum inferioribus ad ipsum Regem Eiusque iudicia aulica et Assessorialia fieri debeat provocatio, periculosum quoque, atque, ut recte olim censuit Palatinus Mariaeburgensis, *Fabianus Czema*, legibus Prussorum, eorumque libertati aduersum, in alienum forum migrare, et peregrinis legibus iudicari velle. Nihilo tamen secius ordo Equestris, nuntique terrestres ex Prussia, immemores plane iurium suorum privilegiorumque, in Comitibus, anno saeculi decimi sexti octogesimo quinto habitis, nullo antea suorum Ordinum consulto, nullo a suis

^p) Conf. *Illustr. LENGNICH* Ius Publ. Pruss. Pol. §. 114. pag. 219.

^q) Conf. Privilegia Ord. Terrar. Prussiae collat: pag. 44. 45.

fuis hunc in finem scripto mandato instructi, sua solum sponte, certis tamen sub conditionibus, Tribunali in Polonia nouiter condito, eiusque iurisdictioni se submiserunt. Ciuitates autem, in iisdem comitiis praesentes, atque iurium prouinciae, libertatum et priuilegiorum bene non tantum memores, sed eorum insimul, ab aliis haud raro neglectorum maleque custoditorum, tutores et defensores vigilantissimi, Regem adibat Stephanum, Eumque orabant, vt, quae hactenus in vsu fuisset ad iudicia aulica prouocatio, maneret integra, atque id, de quo Nuntii terrestres ab reliquis Ordinibus dissentirent, ad proximum generalem Prussiae conuentum remitteretur. Annuebat quoque Rex his ciuitatum precibus, Ordinesque Prussiae Poloniae proximo in conuentu per suum Legatum certiores reddidit, se assentiri, vt Nobilitas Prussica Petricouiae in Tribunali Regni deinceps iudicaretur, *Ciuitates autem, utpote quae nullius alterius, quam Regiae Maiestatis cognitioni subesse vel possent, vel deberent, in eo, quo a fuerunt, statu permanerent.* Vt autem hae Prussiae ciuitates iura sua priuilegiaque in tuto collocarent, nihilque praetermitterent, quo fieri posset, vt ea sincere ad posteros perferrent suos, in eodem conuentu *Laudum* sigillo Prussico munitum publicari curarunt, *) cuius summa est: „Posteaquam a multis immemorabilibus annis, vigore iurium, priuilegiorum et immunitatum

*) Conf. III. GODOFRED. LENGNICH in Appendice Actorum publicorum lit. las Publ. Pruss. Pol. §. 116. pag. 223. et Ebb. pag. 288. 89.



„tum harum terrarum, ratione instantiarum hic mos obserua-
 „tus fuit, vt Nobiles terrigenae ab inclutis iudiciis terrestribus
 „ad Nos tanquam Consiliarios harum terrarum, ac denique
 „ad Serenissimos Reges Poloniae appellarint, illi vero moder-
 „no tempore, contra huiusmodi iura, priuilegia et immuni-
 „tates consuetudinesque, loco vltimae instantiae apud Sa-
 „cram regiam Maiestatem nouo et antehac inusitato modo,
 „non tantum Tribunal in Polonia Petricouienſe elegerunt,
 „ac susceperunt, verum etiam citra vniuersum et vnani-
 „mem omnium Dominorum Consiliariorum ac Nobilium
 „consensum, ab hoc conuentu suas appellationes eo reapſe di-
 „rexerunt, atque harum terrarum publico sigillo hoc tempore
 „ad id vti voluerunt, quod Spectabiles maiores Ciuitates, Tho-
 „runenſis, Elbingenſis et Gedanenſis in consilio praesenti per
 „suos deputatos et internuntios, prouti et vna cum minoribus
 „ciuitatibus, in praeteritis Varſauienſibus comitiis, ac nupero
 „Mariaeburgenſi conuentu iam factum est, quoniam hoc dili-
 „genti instantia, sollicitationibus et admonitionibus haud amoue-
 „re potuerunt, pro se et nomine suorum Seniorum, adeoque
 „omnium incolarum aduersus tale attentatum Nobilitatis publi-
 „ce ac solemniter protestatae sunt, atque se, non minus mo-
 „derni praesentes, quam successorum ergo, praecustodiverunt
 „ac munierunt, quod *talis nouitas hisce terris ac ciuitati-*
 „*bus* in suis iuribus, priuilegiis, immunitatibus ac consuetu-
 „dinibus his et futuris temporibus *non praeiudiciosa vel no-*

„xia esse debeat, et quod ipsi in omne id, quod hic realiter
 „attentatum est, neuiquam consentire possint, nec velint tem-
 „poribus perpetuis.“ His omnibus tamen non obstantibus,
 factum est nonnunquam, vt ciuitates Prussiae Polonae, ea-
 rumque incolae et ciues ad Tribunal regni fuerint euocati,
 sed eiusmodi citatio omni plane destituitur vi et auctoritate,
 et Regis auctoritas aduersus Tribunal ciuitatibus subuenit, simul
 citans ad iudicium Regium Assessoriale citatur, vt ibi causam
 dicat, solent praeterea ciuitates se suaque iura, priuilegia et
 immunitates conscriptis eum in finem et promulgatis apolo-
 gijs ab eiusmodi iniurijs custodire fortiterque et industrie tutari,
 prouti temporibus nuperi Interregni duobus in libellis fecit
 inclusa et florentissima Respublica Gedanensis, quorum alter:
Ciuitatem Gedanensem Decreto Tribunalitio Lublini nuper
in se lato non teneri Expositio, alter autem inscribitur:
Von dem Preussischen Adel angenommenes, und den Staed-
ten abgelehntes Polnische Tribunal, quorum si nominaue-
 rim auctorem, dixerimque vtrumque eorum ab *Illustri Geda-*
nensium Syndico, GODOFREDO LENGNICH esse compositum,
 omnia dixi, vnde potest cognosci, quantum his libellis ad sa-
 lutem et incolumitatem ciuitatum Prussicarum accesserit mo-
 mentum.

Progredior ad id, quod officium, scriptionisque rationes
 exigunt, ad indicandos scilicet honores Dignissimi Iuris Can-
 didati

Viri Praenobilissimi

IOACHIMI GVILIELMI WEICKHMANNI

Gedanensis

Quem de vita studisque, laudatissime institutis, Ipsum differentem audire iuabit.

Academico mori, quo omnes, qui publice honores, habenda disputatione quadam solempni, capebant, de se ipsis commentarios scribere iubentur, obsecutus, non tam vitae, quae, immortalis Dei beneficio, ad triginta fere annos perducta est, historiam, quippe quae tanti vix aestimanda, ut multum ea intersit civitatis literatae, contentam, quam eius potius rationes ita indicabo, ut sint monumenti loco eorum, a quibus vel profecerim, vel quorum insignia proferent in me, quantum ad artium liberalium studium pertinet, merita. Ita enim de biographiis, uti appellantur, quae ingenti numero circumferantur, sentio, si a commentariis de viris excellentibus et vel eruditione clarissimis, vel rebus gestis, vel factis suis, discefferis, quorum ignorasse historiam, saltem per indicem commemoratam religioni ducendum est, in vulgaribus caeterorum vitis enarrandis, oleum atque operam perdi, quod parum haec descriptiones valeant ad virtutum studium aut morum emendationem, nisi copia tibi fuerit data penetrandi et aperendi animorum recessus atque effigies una cum abditis privatae vitae, atque relegendi parum cognita, quaeque cuiusvis haud pateant. Nomen et genus a gente duco *Weickmannorum*, per Saxoniam et reliquam Germaniam non prorsus incognita, cuique eadem sunt insignia gentilitia, quae *Waxmannis*, nobili inter Polonos genti, et a Sigismundo III. hoc splendore condecoratae. In praedicandis maioribus meis,

miv

iam

iam omnibus cheu! morte mihi praereptis haud lubet efendere ultra
 avum. Contigit is mihi *Ioachimus Weickmann*, postremum, in urbe
 patria Collegii sacerdotum I. A. C. additi Senior, quem, haec ipsa
 quondam Vitembergensis Academia, Theologiae Doctorem creaverat,
 cuiusque viri laudes Gedani omnium, qui hodie fructus, ex ipsius in cultum
 sacrum meritis, percipiunt, in ore versantur, sicut excellentes, quae in eo
 fuerunt, dotes pie, annis superioribus, hic praedicavit paternarum in eodem
 vitae genere virtutum haeres, *Ioachimus Samuel*. Ex pluribus Ioachimi filiis
 parentem Gedani mihi, Summum Numen dedit *Ioannem Leonardum*, in
 Philosophia et Medicina Vitembergae honores summos adeptum, qui
 ex *Charlotta Wilhelmina*, filia *Henrici Gottlieb de Dorne*, florentissimi
 mercatoris, e gente, Lubecae et Gedani, per plura secula nobilissima, me
Ioachimum Guilielmum Weickmann, anno *MDCCXXXVII*, suscepit
 filium. Probi et benigni parentes omne adhibebant studium, ut earum
 mature fruerer institutione literarum, quibus erudiri puerilis aetas con-
 suefecit. Ex scholae publicae Marianae doctoribus grata, dum vivam,
 mente prosequar operam et memoriam *b. Lerchii*, et *Kemna*, quorum
 apud illum initia posui literarum, huius vero diligentiam in docendo,
 fidelitatem et gravitatem, qua lubricam aetatem per consilia et monita
 rexit, satis nequeo laudare, cui simul acceptum fero omne id, quod
 praeparare animum potuit, ut cum fructu ingrederer, quod tanto pa-
 triae est ornamento et emolumento, Academicum Gedanense Gymna-
 sium. Ab hoc etiam viro, cum scholae adhuc esset Rector, publice
 quidem, ut a plurimum reverendo *Kautzio*, Pastore ad D. Ioh. bene
 merente, privatim, luculenter mihi explicata sunt sanctissimae fidei no-
 strae dogmata Hurtero duce. Anno *MDCCCLII*, post solitum exa-
 men, a Consuliff. *Ge. Fr. Kraus*, quem Gedani iam praereptorem meum

esse voluit divina providentia, tum quidem Gymnasii Inspectore et Iur.
 ac Histor. Professore meritissimo, Gymnasii civibus ordinis secundi an-
 numeratus sum, quod Rector *Veerpoortennius*, literatissimus Theolo-
 gus, ipsa senectute languebat. In hoc clarissimo Lyceo, per sex an-
 nos, utriusque discentium classi me adscriptum, qui in eo docent, Cele-
 berrimi Professores omnes suis enutriverunt praeceptis doctissimis, suo-
 que dignati sunt favore. Et *Krausum* quidem Ill. in historicis secun-
 dum *Cellarium*, *Sendelium* publice et privatim in doctrina naturali, ex-
 perimentali physica et teleologia ex *Hambergero* et *Wolffo*, suisque
 subinde praeceptis proposita, *Hanovium*, patris mei praeceptorem, in
 quo avus meus immortalis summam posuerat fiduciam, propter singu-
 larem doctrinam et virtutem, ut eius, ex Silesia evocati, fidei pignora
 sua committeret, in Logicis, disputandi arte, iure naturae, philoso-
 phiae historia, eiusque curriculo publice privatimque absoluto, ad
Knutzenium, *Wolffum*, *Bruckerum*, *Baumeisterum*, ac suam rationem
 conformationemque doctrinae, *Kühnium* publice privatimque in mathe-
 maticis *Wolffum* animadversionibus suis illustrantem, *Wernsdorffium* in
 fundamentis stili exercitatione et crebra auscultatione interpretationis
 auctorum classicorum confirmatis, in notitia auctorum et privatim in
 graecis etiam, *Vossio*, *Gesnero* suisque usum curis, *Groddeckium* in
 rheologicis et graecis, frequenter audivi. Accessere sapienti Magnifici
 Senatus decreto anno 1703 duo doctores novi, Summe Vener.
Berlingius et Consultiff. *Pauli*, quorum, cum eo iam consilio Gymna-
 sium salutassem, ut ad iurisprudentiae et historiae studium totum me
 converterem, huic in locum Ill. *Krausii*, quem ad ornandam Acade-
 miam patriam revocaverat Saxoniae Serenissimus Elector, *Augustus III.*
 Rex Poloniarum, suffecto, praeter caeteros, adhaesi, huius quotidie
 clausi

clausi latus; et ab eo Viro et Doctissimo et humanissimo historiam iuris scientiae, ab ipso informatam, institutionum elementa, compendiarie ex *Heineccio* aliquoties, et ex ipso fonte cognita, ius criminale ex *Gaertnero*, historiam tandem Polonam ex initiis Magnif. *Lengnichii*, cum cura explicata, percepi diligenter. Quae audieram, continentibus exercitationibus in succum et sanguinem verti, quibus duces et iudices erant Excellentissimi Viri, *Pauli*, *Sendelius*, *Hanovius* et *Wernsdorffius*, plurimis privatim ac publice vel dissentientibus vel sententias defendentibus. Domestica calamitas, qua anno 1500. me carissimae matris decessus maturus affectit, non potuit tamen me a proposito avocare, quod ceperam, Vicennialia liberatae ab obsidione dira patriae ipso die 19. Julii, quo pactio convenerat, e cathedra superiori, divisis inter me et quinque alios commilitones operis, agendi, et ligata oratione latina, in lectu privato, gratulandi patriae. Fucrat is annus universae Prussiae nostrae festus et secularis, propter memoriam vindicatae ab Equitum Teutonicorum oppressione libertatis: hunc sequebatur, anni 1500. celebritas, Gedani, eiusque Lycei clarissimi propria. Effluxerunt ab eius, non tam iactis fundamentis, quam designatione claustrii vetusti ad Musarum sedem intra Gymnasii cancellos se continentem ducenti anni, quapropter in hoc seculari gaudio Patres Patriae benigne procurabant solemnia publica a quolibet Professore obeunda. Igitur cum placuisset, ut ab eo viro, qui iurisprudentiam doceret, publica haberetur disceptatio, nihil cupidius optavi, quam, ut hac opportunitate usus, in diebus communis laetitiae, publico etiam specimine Patronis me comprobarem. Protuli ergo, comite et Praefide optimo praeceptore, Excellentiss. *Mart. Gottl. Pauli*, Gymnasii tum Inspectoris gravissimo, in cathedram disputationem *de incongrua praxi doctrinae iuris*



Romani de restitutione in integrum ex capite metus et doli, iamque ab-
 tum ad exteras Musas parare coepi. Lecta vero a me primum est Vi-
 tembergenſis Academia, ab avo adamata, a parente et Patruis etiam
 celebrata, quorum uni, iam publica hic fungenti provincia, acceptum fe-
 ro, quod c. l. c. c. XLVII. nomen meum in factos Academicos relatum est,
 in quam patruelis, nunc Magnifico Illustrique Gedanensium Senatui ab
 epistolis, antegressus erat, ea quidem, de qua scribere in vitae suae hi-
 storia cum non dubitaverat b. avus: „Ich habe in denen 6 Jahren,
 „die ich in dem lieben Wittenberg zugebracht, viel gutes gelernt,
 „und sowol bey denen Zerrren Professoribus, als andern gelehrten
 „Leuten allen guten Willen, Liebe und Freundschaft gefunden,“
 non erubescendum erit nepoti eadem experto eadem praedicare. Ita-
 que cupiditas literarum in Academiis persequendarum, necessitatem mihi
 imposuit e patriae amplexu discendi, et simul dicendi vale dilectis-
 simo patri, quem praeter spem atque opinionem omnem, fati acerbi-
 tate, nunquam rursus his oculis vidi. Scholas Vittembergae frequen-
 tavi Illustrium Virorum, b. Rivini, et viventium, Chladenii atque Krau-
 ſii, multis nominibus, de hac Academia et de me, promeritorum, quo-
 rum primus, disputando principia iuris memoriae commendavit, eadem
 secundum praecipuas Codicis leges, explorandis ingenii profectibus, re-
 petiit, historiam Iuris ex Brunquellio, ius ecclesiasticum Protestantium
 ex Wernhero, et processum iuris ex Gribnero curatius docuit, alter,
 Pandectarum ambitum ex Ludovici emensus est, et ius feudale ex Stry-
 ckio explicavit, tertius, Institutionum textum, Pandectas secundum Lu-
 dovici, feudale ius ex Siegelio explanavit et crebris disputationibus at-
 que explorationibus auxit. In publicis eruditorum disputationibus pro-
 vincia dissentientis functus sum, atque, a b. Sturmio consuetudinem fori



Gribnero praeunte, didici, experimentis eius aliquot factis. In reli-
 qua eruditionis parte Physicam experimentalem demonstravit b. *Bofius*,
 idem summo studio in geographicis praelectionibus ex *Schatzio* versatus,
 historiam universam et imperii, ex *Struvio*, enucleavit Ill. *Ritter*, omnem
 Mathematicam et philosophiam ex *Wolffo* et *Thümmigio* explanavit privatif-
 sime longe Celeberr. *Baermann*, encyclopaediam vero disciplinae mo-
 ralis, et artem negotia miscendi cum liberis gentibus, ab se ipso de-
 scriptam, notitiam regnorum Europae ad *Achenwallum*, enarravit b. *Wal-
 ther*, et historiam philosophiae ex *Heineccio* Excellent. multoque Ce-
 leberr. *Hiller*, nunc, Ordinis sui Caput florentissimum. Hoc loco si ha-
 beretur ratio non tam scholarum, quibus auditor interfuerim, quam
 observantiae et grati animi erga eos, qui variis benivolentiae generibus
 me ornarint, pluribus verbis nominarem S. V. *Georgium*, Magnif. *Lang-
 gut*, qui nunc rursus fasces Academiae, multa laude, tenet, *Trille-
 rum*, immortalibus de orbe literato meritis, vere illustrem, atque item
 Viros Clariss. *Titium* et *Freybergium*, et, cuius beneficia amorisque do-
 cumenta quin commemorem, severa modestiae lege excludor, optimum
 Patrum, *Ioachimum Samuelem Weickmann*. Non alius tamen per
 omnes, quos in Academia exegi, quinque annos memoria dignior mihi
 extitit annus, quam elc Io cc Lx. fortunatus initio, ob pacis Olivenfis secu-
 larem memoriam, quae cum Gedani, per triduum, supplicationibus
 celebraretur, ego civis boni esse existimavi, recolere eam Vitembergae
 oratione solemni de vicissitudinibus funestissimi belli, quod pacificationem
 antecessit, et ipsius salubritate pacis, in aede Academica, praesente Se-
 natu Academiae et hospitem, eminentis fortunae atque illustris dignita-
 tis, non contemnendo numero, a me habita, quod institutum splendi-
 dius evasit hymno germanico Ill. *Trilleri* ad numeros decantato, atque
 item

item scripto eius gratia a Cl. *Criso* programmate; luctuosissimus deinde, ob funestam fati Vitembergae obsidionem, templi Academici omnium celeberrimi conflagrationem, et communem civium cladem, per quae discrimina omnia saluum sospitemque me praestitit divina misericordia, quae afflictiones mirum in modum auctae sunt per insectam, anno sequente, mortem triumvirum praestantissimorum, *Rivini*, cuius, ob eximia in me extantia merita, dum ero inter mortales, nulla me capiet oblivio, *Bosii*, eruditionis varietate valde conspicui, moerore, ob calamitatem communem, confectorum, et *Waltheri* denique magnum sui relinquentis desiderium. Illi tamen in bello amissi, meritorum et nominis sui magnitudine in aeternum per gloriam vivere intelliguntur. Cum anno MDCCXXI. Gedani, Patruus amantissimus, *Gottlieb Gabriel Weickmann*, dignitatem Prae-Consulis esset adeptus, hoc tempore Burggravius Regius, officii mei ratus sum scribere ad Virum Per-Illustrem epistolam gratulatoriam, qua perquisivi, *utrum sanctiones Karnkovicanae unquam Gedani vim legis habuerint*. Haud pauca supererant ex curriculo disciplinarum scitu mihi necessaria, quibus erudiri Vitembergae, ob calamitatem temporum et paucitatem commilitonum, non licuerat. Tres igitur amplius annos hic commoratus, Junio mense eiusdem anni, Vitembergam cum Ipsia commutavi, cuius Academiae civibus me adscripsit Ill. *Belius*, tum Rector Magnificus, ibique haud inferiores vel doctrina, vel fide, vel in me favore nactus sum praecceptores. Ab Ill. *Hommelio*, filio, accepi ius Germanicum ex *Eisenhardto*, a *Breuningio* et *Püttmanno* ius Canonicum ex *Engavio* et *Bochmero*, filio, ab Ill. *Platnero*, ex suo libro, historiam iuris, et, in eundem commentantem Cl. *Segerum* audiivi de historia iuris, de iure feudali in b. *Mascovium*, utri Excellentiss.

Wiesan.

Wiesandum, quem iamiam a Serenissimo Saxoniae Electore, *Friderico Augusto*, Professorem Iuris Ordinarium Academiae Vitembergenſi concessum eidem lactabundus gratulor, ius germanicum ex *Eisenhardto* docentem. Disputatorias scholas continuo frequentavi *I. T. Richteri* et *Wiesandi*. Neque omiſi recitationes S. V. *Erneſti* hiftoricas in *Freyerum*, ſicuti *Boehmii*, Viri Illuſtris, diſcipulum me fuiſſe impenſe laetor, atque in iure quidem publico Germanico, quod ex *Mafcovio* illuſtrabat, in hiftoria regnorum Europae eiusque parte ſecunda *Achenwalliani* operis, et *Gellerti*, incomparabilis viri, ex cuius ore ſacundiſſimo morum diſciplinam, artes elegantiores ex *Batteſo*, elementa artis oratoriae ex libello *Erneſtiano*, criticum librorum ad philoſophiam et artes elegantiores pertinentium ex *Stockbauſenio* recensum, et praecepta paedagogis utilia multo cum fructu percepi, quos duumviros quanti faciam, quam ſincere colam, verbis nequeo exprimere. Neque unquam pigebit *Schumanni* adiiſſe ſcholas in commentationibus, quibus ſchedas publicas illuſtravit. Praeter hos praeceptores multum etiam debeo benivolentiae et amori Ill. *Wagneri*, nunc conſiliariis camerae Electoralis Dresdae annumerati, *Boernerii* utriusque, *Wendleri* et Magnif. *Ludewigii*, cuius convictus plurimum mihi ſvavitatis utilitatisque artulit. Quinquennio Academico ad finem perducto, Octobri menſe anni MDCCCLXIII. id conſilii cepi, ne prius Saxoniae fines relinquerem, quam Vitembergae ſummos in iure honores fuiſſem conſecutus. Ante omnia igitur, ut, ad exemplum patris, coelo recepti, ex Regia auctoritate ſuam commentationem Medicam, ſine arbitro, olim defendentis me conformarem,



marem, clementissimum principem, *Augustum III.*, supplex etiam adii, consimilem gratiam mihi exhiberet, cuius etiam voti Rex optimus indulgentissime fecit me compotem. Quapropter ad exarandam hanc dissertationem aggressus sum, eoque fine, ineunte anno MDCCCLXIV. Vitembergam redii; sed ea res tum eventu caruit. Horret animus pluribus referre, in quantum terrorem doloremque fuerim coniectus, nuntio accepto de inopinato parentis desideratissimi obitu. Hic simul nuntius tristissimus domum me revocavit, omnibus relictis, ut iusta ei facerem. Cum annum fere Gedani transegissem, Februario huius anni eo profectus, Berolini, per aliquod tempus, me continui, unde sedulo lustratis omnibus, quae regia haec antiquissima, una cum vicina recentiori, magno numero, offert spectatu digna, perspectis etiam bibliothecae regiae ornamentis, huc reverti, et duobus, quae disputationem praecedere solent, examinibus, b. *Hanaccio*, tum Decano, habitis mense Aprili, Illustri Ictorum Ordini me probavi, ut dignissimum me iudicaret benigne, cui, cathedra et quos petierit, honores aperirentur. Opellam hoc consilio perfectam, cum, ut mandata Regia flagitabant, Dresdam transfiniti ea deberet, sanctius, quod Serenissimo Electori a consiliis est, Collegium eminentissimum censuit, non esse, cur arceatur a formarum typis. Sed avia mea *de Dornia*, natu *Stoltzia*, matrona pia, virtutibus ornatissima, quae vehementer me amarat, atque cum proficiscerer, vix vires aliquantum e morbo receperat, denuo corripiebatur morbo, e quo die XII. Maii placide acquievit. Mihi vero eius iactura intime pectus perfodit et denuo me properare Gedantum iussit, unde iam, paulisper constitutis rebus meis,

post

postquam interea id mihi honoris obrigit, ut die XVI. Augusti, cunctis Splendidissimi Senatus suffragiis, adiungerer aedis et xenodochii ad S. Barbaram curatoribus, redux factus agam nunc, moderante omnem hanc pagnegyrin Ill. *Pauli*, iam Vitembergenfi Doctore et h. t. Decano, quem praeceptorem fidelissimum, et fautorem per longum temporis spatium cognitum nunquam non pie colam, id, quod saepius fortuna turbavit. Faxit Deus feliciter, cuius Numen supplex veneror, ut Academiam, tot casibus afflictam, recreet e luctu et, pristino redditam splendori, dum erunt tempora, tueatur.

Quod a nobis flagitavit, facile obtinuit, omniaque ea, quae statuta exigunt, egregie praestitit, atque vnanime Ordinis nostri iudicium promeruit, quo Ipsi summi in Vtroque Iure Honores sunt decreti, quos, vt rite legitimeque consequatur, proximo die Iouis, die XIX. Decembr. in Auditorio maiore, sine Praefide, Dissertationem Inauguralem *Iuris Publici, qua Ciuitas Gedanensis neque olim in Regni Germanici fuisse, neque hodie in Imperii Romano-Germanici esse potestate, eiusque Formula contineri, vincitur*, publice defendet, quae quidem Solemnia Inauguralia, VI RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS; PATRES CONSCRIPTI itemque reipublicae nostrae CIVES ac HOSPITES sua honorare praesentia velint, quam officiosissime, quam humanissime rogo atque contendo.

P. P. Dominica III. Advent. A. R. S. CI^O I^O CCLXV.

VITEMBERGAE,

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRI.

ACAD. A TYPIS.

Wittenberg, Diss., 1765-66
X 22842 94

ULB Halle

3

007 439 563



v. 18







8695

11
1765
10

ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T.
DECANVS
MARTINVS GOTTLIEB PAVLI D.
DIGEST. INFORTIAT. ET NOV. PROF. PVBL.
CVR. PROVINC. CONSIST. ECCLESIAST. SCABI-
NAT. ET FACVLT. IVRID. ASSESSOR
LECTORI BENEVOLO
S. P. D.

